

chium tradi postulantibus Patribus, legatus bellorum difficultates, quibus Austriaci distinebantur, causatus, Senatorum animos lenire nitebatur: Margitichium Senniae exceptum verisimile non esse; si eo se contulisset, dignas scelerum poenas daturum: eadem Pragæ crebris, vehementibusque Thomæ Contareni legati expostulationibus responsa dabantur.

Inter hæc Venetam navem, pretiosis onustam mercibus, quæ fere decies centena millia æquarent, *Pegolotam* nuncupatam, in Siciliae litora prope Catanam civitatem impactam, ingenti negotiatorum damno diffilisse est allatum; quibus petentibus, Joannes Baptista Padavinus, Senatus a secretis, in Siciliam datis literis est missus ad Olivarium Comitem Proregem; qui prædiviti illectus gaza, moras adhibet, causas innectit, Judæorum mercium obtentu, quas fisco subjectas esse inquit, reliquum ad se trahere nititur. In carceres detrudi navigii scribam jubet; Padavino, quæ bona Christianorum sint, ostendendi provinciam imponit. Ille artium gnarus, negotiatorum factum tuetur; libertatem ac securitatem navigiorum exaggerat; Judæorum mercimonia, quanta ea cumque, licet modo tenuia admodum sint, tuto iis credi posse contendit. Prorex minime flecti, privato negotio publicas querelas jungere, speculatorias biremes male Corcyrae habitas; Turcarum direptiones, regia ac Veneta sociatis classibus, a Neapolitano regno averti superiore anno potuisse: parum animadverti, quam communibus rationibus expediat, eam Turcarum animis firmiter sententiam hære, Philippum ac Venetos indissolubili amicitiae nexu adstrictos esse: demum siqua e Siciliae regno navigia maria excurrant, permissu Regis facere affirmat. Ad hæc Padavinus, Philippum incursiones perosum, ut ab is abstineatur, sæpius jussisse; Senatu flagrante, ut armamentis navigia spoliarentur, Neapolitanisque ac Siculis excursionibus interdiceretur, præcepisse; egregiam Venetorum in Regem voluntatem haud obscuris argumentis patere: anno elapso, ut Turcas ab Adriatici sinus ingressu arceret, prævalidam classem instruxisse, imminetiaque Neapolitano regno atque Apuliæ pericula depulisse. Tandem Prorex, viginti aureorum millibus a negotiatoribus datis, navem restitui jussit.

At varia ea tempestate accidere, quibus immutari rerum facies posse

Joannes  
Baptista  
Padavinus  
in Siciliam  
mittitur ad  
Venetam  
navem recuperandam.